

# LECTORI BENIVOLO

S. D

IOH. FRID. FISCHERVS AA. M  
SCHOLAE THOM. CONR

**Q**uae res impulit me nuper, ut Aeschinis Socratici dialogos denuo ederem; ea etiam Anacreontis, suavissimi poëtae, Carminum nouam editionem adornare coëgit. Quippe scriptor Graecus erat quaerendus, quem, per aestiuos hōste hibernosque menses, disciplinae nostrae alumnis interpretaret. Quum igitur praeter libros eos, qui superioribus annis vel Ernestii, viri celeberrimi, egregia diuinaque doctrina illustrati, vel etiam a me ut cunque explicati, fuissent, reperirem nullum, cuius facilis et bona in tabernis librariis copia esset; ego autem in schola nostra e Latinae linguae auctoribus adhuc Horatium enarrasset: animum induxi poëtam Graecum eum, cuius ingenio Venusini musa in Odis maximam partem deberet sua, hoc est, Anacreontem, interpretari, ut, quomodo versandum in imitandis scriptorum veterum locis esset, quatenusque aliena suo premere pede liceret, eo facilius viderent tirones, eiusque adeo Carmina, ut facile possent comparari neque male, ut fit, emerentur, de novo edere. Sed ante, quam de ipsa hac editione plura dicamus; paucis diluenda videntur esse et infirmando ea, quae contra nostrum hoc consilium dici posse intellego.

Etenim haud scio, an multi futuri sint, qui contendunt quā maxime elaborandumque aiant in eo, ut

c 3

Ana-